

de se, semper est effectiva caloris, etiam lux lunæ. Unde dicit Philosophus (1) de partibus animal. Lib. IV. cap. v. quod noctes plenilunii sunt calidiores. Sed præter naturam lucis, quæ communis est omnibus corporibus cælestibus, quælibet stella habet virtutem determinatam, consequentem suam speciem, ratione cuius lux ejus, & motus habet vel infrigidare, vel humectare, & sic de aliis; sicut etiam & præter motum communem, qui est motus diurnus, quilibet orbis habet motum proprium.

Ad sextum dicendum, quod cuiuslibet agentis habentis situm, actio prius recipitur in medio quam in termino; non tamen oportet quod recipiatur in utroque eodem modo, sed secundum quod exigit dispositio utriusque, sicut ponit exemplum Commentator in VIII. Physic. de pisce qui retentus in reti, stupefacit manum, præter hoc quod stupefaciat rete, quæ stupefactionis capax non est; & tamen secundum aliquem modum rete alteratur ex virtute piscis. Ita etiam oportet quod virtutes superiorum stellarum prius recipiantur in mediis orbibus quam in inferiora corpora, quamvis non eosdem effectus utrobique habeant.

## ARTICULUS III.

Utrum corpora superiora habeant causalitatem super motu liberi arbitrii.

I. P. quæst. cxv. a. 4. & II. cont. Gent. cap. lxxxiv. lxxxv. lxxxvii.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod corpora superiora habeant causalitatem etiam super motu liberi arbitrii. Dionysius enim in iv. cap. de divin. Nom. de corporibus cælestibus tractans, *Et*, inquit, *quæ sunt in tempore, determinant, & numerant, & ordinant, & continent.* Sed opera quæ sunt ex libero arbitrio, sunt in tempore. Ergo determinantur, & ordinantur virtute corporum cælestium.

2. Præterea. Omne quod non est eodem modo se habens, oportet reducere in causam semper eodem modo se habentem; quia contingentia procedunt ex necessariis, & difformia ab uniformibus. Sed actus ex libero arbitrio dependentes maxime sunt variabiles. Ergo oportet eos reducere in motus cælestes sicut in causas uniformes.

3. Præterea. Sicut se habet movens, & mobile ad aliud movens, & mobile; ita se habet motus ad motum. Sed motor corporis cælestis est nobilior motore corporis humani; & potens in ipsum imprimere, & similiter corpus cæleste in corpus humanum. Ergo & motus cælestis est aliquo modo causa operum humanorum, quæ ex libero dependent arbitrio.

4. Præterea. Præcognitio aliquorum futurorum non potest accipi nisi ex illis in quibus illa futura sunt aliquo modo sicut in causis, sive per se cognoscantur causæ illæ, sive per aliquos effectus, qui dicuntur earum signa, & per consequens aliorum effectuum. Sed præcognitiones operum humanorum ex libertate arbitrii dependentium accipiuntur ex motibus cælestibus, sicut patet ex Astrologis, qui multa de his divinando prædicunt. Ergo videtur quod

(1) *Al.* in Lib. de animal. quod &c. (2) *Al.* nos actus nostros.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Immo de Empedocle nominatim, ac de antiquis indefinite, ut videre est Lib. III. de Anim. text. l. ac deinceps; ubi ex professo hoc refellit; quamvis & Empedocli Democritum adiungit Lib. IV. Metaph. cap. v.

corpora cælestia habeant causalitatem super ea quæ ex libertate arbitrii dependent.

Sed contra. Sicut dicit Philosophus in III. de Anima, text. xix. agens oportet esse præstantius patiente. Sed corpus cæleste est multo inferius in ordinem quam anima rationalis. Ergo non potest in ipsa agere, ut causet aliquem effectum ejus.

Præterea. Ut probat Philosophus in III. Ethic. cap. vii. & I. magnorum Moral. cap. ix. in nobis est bonos, vel malos esse. Sed boni, vel mali efficiuntur per actus nostros. Ergo in nobis est quod (2) bonos actus nostros faciamus. Ergo non causantur ex aliqua virtute, vel impressione virtutis cælestis.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum propria rei operatio sequatur naturam ipsius, illud tantum causa operationis esse potest quod aliquo modo naturam in esse producit: & ideo cum actus ex libertate arbitrii procedentes, ex hoc quod voluntarii sunt, & in potestate nostra, actus humani proprie dicantur; non possunt in aliquam causam directe reduci quæ ipsius animæ causa non sit: & ideo secundum diversas positiones de causalitate rationalis animæ, consecuta sunt diversæ opiniones de operibus humanis.

Quidam enim antiqui Philosophi sensum, & intellectum idem esse dixerunt, intantum quod sicut ex transmutatione corporis transmutatur sensus, ita etiam mutaretur intellectus, ut de Democrito (a) Philosophus narrat. Et cum omnes virtutes corporales ex corpore dependentes reducuntur in virtutes primorum corporum sicut in causas, sequebatur quod corpora cælestia directe causalitatem haberent super animam rationalem, & per consequens supra operationes ejus. Unde ponebant, quod qualis unusquisque est secundum dispositionem quam ex nativitate sortiebatur secundum impressionem superiorum corporum, talis finis videbatur ei: & secundum hoc diversificabantur electiones hominum, quibusdam hoc, quibusdam aliud eligentibus. Hæc autem positio reprobata est à Philosophis cum quantum ad causam, quia probaverunt intellectum non esse virtutem corporalem, nec actum ejus proprium organo corporali expleri; tum etiam quantum ad id quod sequitur, ostendentes bonam, vel malam electionem in nostra potestate esse: alias injuste darentur pœnæ, vel præmia. Similiter etiam damnata est à sanctis tanquam fidei contraria.

Alii vero Philosophi ponentes intellectum à sensu differre in hoc quod ad corpus non dependet, nec corporali organo suum actum explet, dixerunt, nullam virtutem corporalem causalitatem super intellectum humanum habere, sed omnino ab extrinseco esse: & ideo etiam electionem humanam non dependere ex corporibus cælestibus, nisi per accidens, in quantum videlicet ex dispositione corporis, quam impressio cælestis relinquit, aliquo modo anima inclinatur ad sequendum affectiones corporis, per modum quo passionem corporales rationem inclinant, & quandoque deducunt. Sed tamen quia ponunt animas humanas creati à Deo mediantibus intelligentiis, ponunt quod motores orbium causent ipsos motus voluntatis, præter ordinem motus, ut Avicenna

na dicit in fine Metaph. suæ, tract. x. cap. i. post princ.) quod varietas operum voluntatis, reducitur sicut in causam in conceptiones uniformes motorum cælestium. Nec tamen ponunt quod tollatur libertas electionis, cum impressio recipiatur per modum recipientis. Hæc etiam positio falsa est, & contra fidem, quæ immediate animas humanas à Deo creati ponit. Unde relinquitur quod electionis humanæ non sit causa, per se loquendo, neque corpus cæleste, neque anima ejus, vel intelligentia movens ipsum; sed solus Deus, qui operatur omnia in omnibus.

Ad primum ergo dicendum, quod actus liberi arbitrii non sunt temporales nisi per accidens, in quantum scilicet habent ordinem ad virtutes corporales, à quibus ratio scientiæ accipit, & voluntas earum passionibus inclinatur.

Ad secundum dicendum, quod motus voluntatum reducitur in unam causam uniformem; sed illa causa non est motus cælestis, aut aliqua virtus creata, sed ipsa voluntas divina, à qua est omnis voluntas.

Ad tertium dicendum, quod (1) actuum qui dependent ex libero arbitrio quidam in sola electione consistunt, sicut interiores actus; & in hos non habent causalitatem cælestia corpora, nisi forte per modum dispositionis, secundum quod ex qualitate corporis inclinatur anima ad hanc, vel ad illam electionem: & si etiam poneretur quod essent ex impressione superiorum motorum, hoc esset præter ordinem motus: quod tamen falsum est, nisi Deum immediate caelos movere dicamus. Alii vero motus sunt per organa corporalia completi, ut ambulare, & hujusmodi: & super hos actus non est dubium motus corporum cælestium causalitatem habere, non quidem à parte illa quæ sunt à voluntate imperati, sed secundum quod consistunt in executione corporis; cum omnis motus inferiorum reducatur in superiores motus sicut in causas.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dictum est, electio animæ multum inclinatur ex complexione corporis: unde etiam medici judicant aliquem esse invidum, vel tristem, vel lascivum, vel aliquid hujusmodi: quorum iudicia frequenter vera sunt, eo quod ut in pluribus ratio passionibus succumbit, & ab eis deducitur; quamvis non de necessitate, eo quod ratio imperium super passionem habet: & per hunc etiam modum ex motibus corporum cælestium aliqua possunt de operibus humanis præsciri, cum non sit dubium dispositiones corporis humani impressiones corporum cælestium sequi. Quamvis talibus prædictionibus non sit tutum nimis intendere, ut dicit Augustinus II. super Gen. (cap. xvii.) cum plerumque Astrologi de futuris vera prænantient, non tam ex signis cælestibus, quam ex occulto dæmonis instinctu, quem humanæ mentes interdum nescientes patiuntur; & sic cum hujusmodi divinationibus quodammodo foedus initur.

## QUÆSTIO II.

Deinde quæritur de productione animalium, quæ ad quintam, & sextam diem pertinet: & circa hoc quærantur duo.

Primo. De materia ipsorum.

Secundo. De locis quæ eis ornari dicuntur.

(1) *Al.* motus actuum. (2) *Al.* terræ, & infra aqueæ: (3) *Al.* generationis.

ARTICULUS I.

Utrum quædam animalia sumpserint materiam ex aquis, quædam ex terra.

Ad primum sic proceditur. Videtur falsum esse quod dicitur, quædam animalia ex aquis, quædam ex terra materiam suscepisse. Corpus enim cuiuslibet animalis oportet esse sensibile. Sed nihil est sensitivum sine calore, ut Philosophus dicit II. de Anima (text. con. xxxi. & xl.) Ergo in corporibus animalium præcipue debet ignis dominari, qui est fons caloris.

Præterea. Inter omnia corpora inferiora sunt nobilissima corpora animalium: quod patet ex hoc quod nobilissimam perfectionem sortiuntur, scilicet animam. Cum ergo corpora rariora, scilicet ignis, & aer, sint nobiliora, quasi plus habentia de specie, & minus de materia; videtur quod ex ipsis præcipue animalium corpora constare debeant.

Præterea. Ut dicit Philosophus in IV. Meteor. (text. lxi.) quæcumque ex calido condensantur, (2) terræ sunt magis; quæ vero ex frigido, aquæ. Sed corpora omnium animalium condensantur ex calore digerente, & humores in membra convertente. Ergo non videtur esse aliquid animal in quo dominetur aqua.

Præterea. Unicuique corpori mixto debetur locus secundum elementum prædominans in ipso, ut dicitur in I. Cæli, & mundi (text. viii.) Sed locus avium est aer, ut in littera dicitur. Ergo videtur quod non aqua, sed aer præcipue in avibus dominetur.

Sed contra est quod in littera dicitur, quod ex aqua pisces, & aves producuntur; ex terra autem alia animalia.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod elementum prædominari in aliquo corpore potest intelligi dupliciter: vel secundum suum genus, vel quantum ad id quod est proprium illi corpori in genere illo. Cum enim alicui generi deputatur aliqua complexio, hoc non est secundum aliquem indivisibilem gradum, sed secundum latitudinem quamdam; ita quod est invenire aliquos terminos ultra quos non salvatur complexio (3) illius generis. Sed inter illos terminos est multa diversitas, secundum quod acceditur ad unum, vel alterum: verbi gratia, complexio debita corpori humano est complexio temperatissima; & tamen sunt multi gradus temperamentis, secundum quos quidam dicuntur melancholici, quidam cholericis, & sic de aliis, secundum propinquitatem ad terminos complexionis humanæ speciei vel in calore, vel in frigore; ita tamen quod est aliquis gradus caloris, vel frigoris, quem non transit humana complexio. Dico ergo, quod si loquimur de elemento prædominante in corpore animalis, quantum ad complexionem consequentem ipsam genus, oportet quod elementa inferiora grossiora secundum quantitatem excedant elementa subtiliora, quæ tamen excedunt secundum virtutem, scilicet secundum calidum, & humidum, in quo vita consistit; quæ sunt qualitates principales ignis, & aeris. Cum enim corpora animalium debeant esse aliis temperatiora, ut magis à con-

